



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 79. Renatus Andegavensis de Galliarum Rege conquestus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Sæcul. XV.  
A.C. 1475.

§. LXXIX.

*Renatus Andegavensis de Galliarum  
Rege conquestus.*

Non insimum erat Burgundo ambitio-  
nis suæ irritamentum sperata Regni  
Neapolitani possessio; noverat enim,  
Andegavensem familiam inde ejectam  
esse præclusa omni illud recuperandi spe,  
ac præterea Renatum Andegavensem  
gravi senio pressum non nisi unicum su-  
perstitem habere ex filia sua Nepotem  
Renatum Lotharingiæ Ducem; huic  
ipsum vero jam pene suo Ducatu exutum,  
ac proin Neapolitanum diadema vindicando  
imparem esse. Insuper Ludovi-  
cus XI. non solum Renato Andegavensi  
opem ferre constanter recusabat, sed et  
iam jam aperta vi eundem non ita pridem  
Andegavensi, & Barensi arcibus, quas  
Renatus suo milite munitas tenebat, ex-  
poliabat, veritus, ne ultionis libidine  
stimulatus, easdem denuo Gallicæ Coro-  
næ hostibus redderet. Renatus hanc in-  
juriam vehementer indignatus, unice  
vindictam animo agitabat, quam, ut va-  
lidius exerceret, Burgundiæ Ducem so-  
cium sibi allegere, eundemque Provin-  
ciæ Comitatus, quem tum possidebat,  
hæredem scribere meditatur: Opportu-  
ne tamen juxta ac dexterime illum ab  
hoc

hoc consilio Joannes Cossa, amicus ipsi Sæcul. XV.  
in paucis carus, & Magnus Provinciæ A.C. 1475.  
Seneschallus dimovit, prout in progressu  
historiæ perspiciemus.

§. LXXX.

*Bellum Helvetiis denuntiandi obtentus  
a Burgundo quæfitus.*

Ut ampla, atque magna illa consilia ad  
exitum deduceret, nil reliquum Bur-  
gundo esse videbatur, quam ut sibi per  
Helvetiam transitum aperiret, inde in  
Mediolanensem Ducatum penetraturus.  
Ast nisi Helvetiis bellum indiceret, rem  
e sententia haud quaquam successuram  
prospexerat. Nec deerat huic consilio  
opportuna occasio, atque prætextus mul-  
tum vero similis, eoquod Helvetii paulo  
ante Burgundum ex Comitatu Ferretano  
propulsassent. Nihilominus neglecto hoc-  
ce obtentu longe magis infirmum, ausim  
dicere, ridiculum selegit: contigit enim,  
quod quidam Helveticæ gentis Mer-  
cator, cum currum pellibus vetricum onu-  
stum per Vaudum transvehheret, vectigal,  
eoquod plus æquo exigeretur, pendere re-  
cusasset. Hic, cum ei pelles detineren-  
tur, & currum provehere prohiberetur,  
de injuria apud Helvetios conqueritur.  
Eo tempore Vaudensis Regio parebat Ja-  
cobo Remontio Comiti ex Sabaudorum

M m 5      stirpe